

30. O. *boni Magistratus officium est defendere pios:*

*Punire impios est boni Magistratus officium:*

E. *punire impios est defendere pios.*

Resp. in hisce Paralogismis *major* duplicem potest habere sensum, seu duplici modo intelligi. In uno sensu est vera ipsa & non est universalis: in altera est universalis & etiam vera.

Ad hanc fallaciam referunt nonnulli id quod *Diogeni* olim à *Sophistâ* fuit objectum, apud *Gellium* l. 18. c. 13.

31. *Quod ego sum, tu non es:*

*Ego sum homo:*

E. *Tu non es homo.*

Resp. *Major* loquitur de *Individuo*, *Minor* de *specie*. Vel: in *Majore* *Sophista* individuum, scilicet, *quod ego sum*, tu non es, nempe idem numero: In *minore* subsumit speciem. *Diogenes* respondebat: *Hoc quidem falsum est: Sed si verum id fieri vis, à me incipe.* Quâ responsione *Diogenes* fallaciam hanc rectè in *Sophistam* retorfit, & osten-